

PRIMA PRINCIPIA ONTOLOGICA QUANTUM VALEANT AD EXSISTENTIAM DEI PROBANDAM

Praenotandum: *De sensu et valore obiectivo primorum principiorum ontologicorum brevis expositio (recapitulatio).* In primo fasciculo anni currentis *huius* folii periodici (p. 24-41) sensus et valor obiectivus principiorum contradictionis, rationis sufficientis, causalitatis eorumque inter se conexio originaria exposita sunt. Summa autem capita illius articuli sic recapitulari possunt:

1) Ens in se necessario est ens (et non potest esse non ens). «Hoc principium dependet ex intellectu *entis*» (S. Thomas, In 4 Metaph. lect. 6): principium contradictionis.

2) Ergo ens per aliquid determinatum *est* ad hoc, ut sit ens (et non possit esse non ens): principium rationis sufficientis. Si enim nihil esset, per quod ens in se necessario sit ens, ipsa necessitas, qua ens in se est ens, non haberetur. Ratio illud est, per quod aliquid determinatum est, ut sit, et per quod sub eo respectu, sub quo est, non potest non esse.

3) Ens contingenter existens, quando existit, in se necessario existit (et non potest non existere): principium contradictionis applicatum ad ens contingens.

Ergo etiam ens contingenter existens per aliquid determinatum *est* ad hoc, ut quando existit, in se non possit non existere: *principium rationis sufficientis applicatum ad ens contingens.*

Atqui in ipso ente contingenter existente non est illud, per quod, quando existit, in se *necessario* existit. Nam ens contingenter existens, etiam quando existit, ex essentia sua est indifferens ad existendum. Ergo in alio ente debet esse illud, per quod ens contingens determinatur ad hoc, ut quando existit, non possit non existere. Hoc aliud ens est causa entis contingentis: principium causalitatis.

ARGUMENTUM COSMOLOGICUM

Nota: Principia contradictionis et rationis sufficientis dependent ex intellectu entis; principium causalitatis, ex intellectu entis contingentis.

Hisce praesuppositis, prima principia ontologica quantum valeant ad existentiam Dei demonstrandam, explicetur; et quidem singula argumenta pro existentia Dei, quae communiter ponuntur, evolvantur, atque in iis primorum principiorum vis probativa ostendatur.

1. Argumentum cosmologicum

Existit aliquid. *Atqui si* existit aliquid, existit ens a se. *Ergo* existit ens a se sive Deus.

Ad maiorem. Constat ex experientia et interna et externa.

Prob. min. Ens existens ad existentiam suam aut est determinatum a se aut non. Aliis verbis, quae idem prorsus significant: rationem existentiae suae aut habet in se aut non. Atqui si a se determinatum est ad existendum, est ens a se. Si vero non a se ad existendum determinatum est, ab alio ente determinatum est ad existendum. Atqui hoc aliud ens aut a se ad existendum determinatum est aut non. Si a se, existit ens a se. Si vero non a se, iterum ab alio ad existendum determinatum est. Et quoad hoc tertium ens, recurrit quaestio nostra et ita porro in omni ente, quod non a se est determinatum ad existendum. Nam etsi fingatur exsistere infinite multa entia ab alio (quod vero nullo modo possibile esse conceditur), tamen praeter illa infinite multa entia ab alio, debet esse ens a se. Nam ens ab alio nullo modo, ne partialiter vel initialiter quidem, est sibi sufficiens ad existendum. Ergo etsi exsisterent infinite multa entia ab alio, neque illa infinite multa ad existendum sibi sufficerent. Ergo etiam tunc necessario requiritur ens a se; quia secus determinatio ad existentiam et consequenter existentia entium non adesset.

Nota. In argumento cosmologico considerantur res existentes huius mundi, *in quantum omnino aliquid sunt*, et concluditur directe ad Deum *ut est ens a se*.

Scholion. Ens «a nihilo» est contradictio in adiecto. Nam ens dicit determinatum esse per aliquid, ut sit ens. Ens «a nihilo» dicit et determinatum esse per aliquid, ut sit ens, et simul non determinatum esse per aliquid, ut sit ens. Ergo ens «a nihilo» est contradictio in adiecto.

2. Argumentum tychologicum.

Exsistunt entia contingentia, i. e. talia entia, quae ita exsistunt, ut possint non exsistere. *Atqui* entia contingentia rationem sufficientem existentiae suae non habent in se ipsis, sed tandem aliquando in ente absolute necessario, quod est causa libera entium contingentium. *Ergo* exsistit ens absolute necessarium cum libertate existentiam entium contingentium determinans.

Prob. min. 1) Ens contingens ex sua essentia est indifferens ad exsistendum. Ergo ab alio ente ad exsistendum determinari debet. Hoc secundum ens aut ex essentia sua est determinatum ad exsistendum, et tunc est ens absolute necessarium (non potest non exsistere), aut a tertio ente ad exsistendum est determinatum, et tunc hoc tertium ens aut est a se, aut a quarto ad exsistendum determinari debet, et ita porro... Etsi essent infinite multa entia contingentia, tamen praeter ea ens absolute necessarium requiritur. Neque enim infinite multa entia contingentia ex seipsis ad exsistendum determinata sunt.

2) Ens contingenter exsistens ita exsistit, ut potuerit etiam non exsistere. Atqui si causa prima ens contingens ita causaret, ut eam non posset non causare, res causata non posset non exsistere. Ergo tunc res contingens non iam esset contingens. Ergo ens absolute necessario exsistens rem contingentem ita causat, ut possit etiam eam non causare, i. e. causat eam libere.

Nota. In argumento tychologico considerantur res huius mundi, *in quantum sunt entia contingentia*, et concluditur directe ad Deum *tamquam ens absolute necessario exsistens* et entia contingentia *libere causans*.

3. Argumentum climacologicum (ex diversis gradibus perfectionis).

Varii sunt gradus perfectionis essentialis et accidentalis in rebus huius mundi. *Atqui* quilibet gradus finitus perfectionis ultimatim requirit causam infinitam. *Ergo* exsistit ens infinitum sive Deus tamquam causa rerum finitarum huius mundi.

Ad maiorem. Alia entia sunt aliis perfectiora in bonitate, veritate, nobilitate. «Invenitur [enim] in rebus aliquid magis et minus bonum et verum et nobile et sic de aliis huiusmodi» (S. Thom., S. theol. 1

q. 2 a. 3 «Quarta via»). Ipsa ratio entis perfectior est in organicis quam in anorganicis, perfectior in brutis quam in plantis, perfectior in hominibus quam in brutis.

Prob. min. 1) Ens finitum est indifferens (seu: non est determinatum) ad hunc vel illum gradum perfectionis et essentialis et accidentalis. Ergo in omni ente quomodolibet finito deest ratio sufficiens, quod praecise habeat hunc gradum perfectionis essentialis vel accidentalis. Ergo ratio sufficiens debet esse in ente non finito. (Aliter: omne ens finitum ab alio determinatum est ad certum gradum perfectionis suae.) Ergo existit ens infinitum sive Deus.

2) Quilibet gradus finitus in se non potest esse alius. Atqui quodlibet ens finitum ex essentia sua est indifferens ad hunc vel illum gradum. Ergo insociabilitas cuiuslibet gradus finiti entis cum alio gradu finito non est ex ipso ente finito. Ergo quodlibet ens finitum a se non est determinatum ad *hunc* gradum. Ergo existit ens infinitum (sive Deus), per quod ens finitum determinatur ad hunc gradum. Ergo tantum ens infinitum est a se.

3) Quodlibet ens finitum habet *determinatum* gradum perfectionis. Ergo ratio sufficiens adesse debet, cur praecise hic determinatus gradus perfectionis existat. Nam nihil est sine ratione sufficiente. Atqui ens finitum ad *quemlibet* gradum finitum est indifferens. Ergo in ente finito non potest esse ratio sufficiens pro *determinato* gradu finito perfectionis. Ergo quodlibet ens finitum non potest esse a se.

Nota. In argumento climacologico considerantur res huius mundi, *in quantum varios gradus perfectionis habent*, et concluditur directe *ad omnimodam et absolutam infinitatem Dei*.

Corollarium 1.—Ergo recte S. Thomas dicit: «Magis et minus dicuntur de diversis, secundum quod appropinquant diversimode ad aliquid, quod maxime est» (l. c.).

Corollarium 2.—Ens infinitum vi essentiae suae habet tantum perfectiones simplices, i. e. tales, quae nullam includunt imperfectionem vel negationem. Nam quaelibet perfectio mixta, i. e. talis, quae admixtam habet imperfectionem (vel negationem), est finita; ergo non a se. Ergo non potest existere e. g. mons maximus; nam mons maximus esset ens finitum. Sed existit ens infinitum, quod habet quidquid perfectionis est in rebus finitis et quidem absque omni imperfectione.

Scholion 1. Sequentes propositiones prorsus idem significant: 1 *ex una parte*: ens est ens; ens per aliquid

determinatum est ad hoc, ut sit ens; ens habet aliquid, per quod est ens; ens in aliquo habet rationem sufficientem sui.—2). *Ex altera parte:* ens est indifferens ad aliquid; ens non est determinatum ad aliquid; ens in se non habet rationem sufficientem alicuius; ens est in potentia ad aliquid.

Proinde in ente a se nulla potest esse indifferentia vel potentialitas; aliis verbis: ens a se est absolute necessarium, sine ulla compositione physica vel metaphysica, absolute simplex, actu absolute infinitum, actus purus.

Scholion 2. Quomodo *plura* entia, quae non sunt merae relationes possibilia sunt? Pluralitas entium est in eo, quod unum ens non est aliud. Pruralitas ergo supponit, quod singula limites habeant. Omnis limitatio dicit negationem ulterioris perfectionis.

Ens vero, quod *in se et a se* determinatum est ad hoc, ut sit ens, est ens absolute necessarium et proinde, uti vidimus, non causatum, aeternum, non corruptibile, indivisibile, inmutabile, infinitum.

Si ergo omne ens in se haberet rationem sufficientem sui, limites non essent possibiles, sed unicum tantum ens esset possibile, quod esset absolute necessarium et infinitum.

Plura entia eo ergo sunt possibilia, quod singula quidem *in se* determinata sunt ad hoc, ut sint — si enim *in se* non essent determinata, ut sint, non essent —, non vero *a se*. Ergo tunc tantum plura entia sunt possibilia, si rationem sui esse non habent in se (1).

Philosophi Eleatenses, imprimis Parmenides et Milesos (2) omne ens in seipso rationem sui habere docent; omnino consequenter ad hanc sententiam fundamentalem ens esse unicum tenent et monismum ontologicum profitentur, cui omnis pluralitas entium repugnet. E contra philosophi Graeci Atomistae, maxime Leucippus et

(1) Quae modo exposita sunt, non valent de ente relativo. Relatio enim non est aliquid absolutum; «ea [vero], quae dicuntur ad aliquid, significant secundum propriam rationem *solum respectum ad aliquid*» (S. Thom., S. theol. 1 q. 28 a. 1). Proinde ex mysterio SS. Trinitatis difficultas contra sententiam propositam peti nequit.

(2) Cf. DIELS, *Die Fragmente der Vorsokratiker* I. editio 4 (Berlin 1912) 138-165 (imprimis 154 s.), 176-192 (imprimis 190 s.)

Democritus (1) pluralismum absolutum profitentur, eo quod nixi experientia plura quidem entia esse, sed unumquodque eorum in seipso rationem sui habere docent. Quia vero ens, quod in seipso rationem sui habet, necessario est infinitum et unicum, propterea ex doctrina Atomistarum *aut* consequitur, quod ens seipsum negat — nam unum ens non est aliud —; aliis verbis: negatur principium contradictionis uti de facto ab Heraclito (2) et Cratylo eius discipulo negatur; *aut* unum ens ab alio non per entitatem suam differret; tunc ens etiam posset esse non-ens, et hoc modo iterum principium contradictionis negaretur.

Qui ergo omne ens in seipso rationem sui habere arbitratur, aut ens esse unicum cum Parmenide docere debet, aut pluralismum absolutum Atomistarum profiteri cogitur. Doctrina Parmenidis contradicit experientiae, Atomismus vero negat principium contradictionis. Ex dictis apparet, quomodo ex principio rationis sufficientis falso explicato opposita systemata philosophica oriri possint.

4. Argumentum cinesiologicum

Certum est ex experientia existere motus sive mutationes rerum in mundo, quatenus res novas perfectiones recipiunt. *Atqui* hi motus supponunt motorem primum immobilem. *Ergo* existit Deus tamquam motor primus immobilis.

Prob. min. 1) Quidquid movetur, non est causa adaequata sui motus, sed ab alio movetur; quod vario modo ostenditur.

a) Ens mobile (vel motum, vel: quidquid movetur) ex se est indifferens (non est determinatum) ad motum suum (vel, quod prorsus idem est: ens mobile in se solo non habet rationem sufficientem sui motus). Nam accipit perfectionem, quam non habet, quae ergo non vi essentiae suae ei convenit. Ergo determinatio ad motum ab ipso mobili solo fieri nequit, sed etiam ab alio ente ad motum determinari debet (3).

(1) DIELS I. c. II, 1 - 10; 10 - 140.

(2) DIELS I. c. I. 67 - 113.

(3) Ex hoc sequitur: omne ens, quod est sub aliquo respectu in potentia ad aliquid (vel determinabile per aliquid), ab aliquo alio actuari (determinari) debet. Homo vero est in potentia ad cognitiones suas; nam eas actu non habet. Ergo homo ad cognitiones suas determinari debet; et quidem ab ipsis obiectis; nam ratio adesse debet, cur praecise hoc obiectum prae aliis, ad quae est in potentia, cognoscat.

Ergo quidquid movetur, non est causa adaequata sui motus, sed ab alio movetur (1).

b) «Nihil idem est simul in actu et in potentia respectu eiusdem; sed omne quod movetur, in quantum huiusmodi, est in potentia, quia motus est actus existentis in potentia secundum quod huiusmodi. Omne autem quod movet est in actu, in quantum huiusmodi, quia nihil agit, nisi secundum quod est in actu. Ergo nihil est respectu eiusdem movens actu et motum; et sic nihil movet seipsum» (S. Thom. C. gent. I. 1 c. 13) (2).

2) Motor movens, qui ad omnem motum requiritur, aut est immobilis aut mobilis. Atqui si est immobilis, existit motor immobilis. Si est mobilis, ab alio debet moveri; et idem valet de omni motore mobili. Etsi essent infinite multi motores mobiles, tamen necessario requiritur primus motor immobilis. Nam nullus motor mobilis in se solo rationem sufficientem sui motus habet. Ergo neque infinite multi motores mobiles, qui forsitan fingantur, in ipsis solis rationem sufficientem sui motus haberent. Ergo etsi essent infinite multi motores mobiles, tamen primus motor immobilis necessario requiritur, quia secus ratio sufficiens motus et consequenter motus ipse non adesset.

Nota. In argumento cinesiologico considerantur res huius mundi, *in quantum moventur*, et concluditur directe ad Deum *tamquam motorem primum immobilem*.

5. Argumentum henologicum.

Omnia, quae existunt vel exsistere vel cogitari possunt, multiplicem convenientiam (communionem) inter se habent. *Atqui* ubi plura conveniunt in uno, hoc unum acceperunt *ab unico* principio primo (ente a se summe uno). *Ergo* existit Deus tamquam *unicum* principium omnium entium existentium et possibilium.

Ad maiorem. Omnia entia conveniunt in ratione entis, veri, boni; ad invicem agunt, vel ab invicem patiuntur, alias inter se habent relationes, etc.

(1) Quomodo non obstante hac determinatione ad motum, quam ab alio fieri necesse est, viventia seipsa movere vel immanenter agere et speciatim entia libera se libere determinare possint, ostenditur in doctrina de concursu divino, qui ad omnes actiones creaturarum necessarius est. Cf. e. g. URRÁBURU, *Institutiones philosophicae*, vol. 8. (Theodiceae 2), Vallisoleti, Lutetiae Paris. Romae 1900, p. 744 ss.

(2) Alio adhuc modo principium «quidquid movetur, ab alio movetur» probatur ab *Aristotele*, (Physic. I. 8 c. 1 241 b 24 - 242 a 15) et S. Thom. (In 7 Physic. lect. 1, C. gent. I. c.)

Prob. min. Adest convenientia plurium et omnium in *uno* praedicato (et in pluribus praedicatis). Atqui haec *convenientia* plurium et omnium non determinatur a pluribus qua pluribus, vel omnibus qua omnibus. Nam pluralitas et omnitudo qua talis non est ratio convenientiae. «Unitas est causa identitatis, ut patet in 5 Metaph. Ergo pluralitas vel multitudo est causa diversitatis» (S. Thom., *In Boethium de Trin.* q. 4 a. 1). Ergo convenientia plurium et omnium e. g. in entitate non habet rationem suam in pluralitate vel omnitudo qua tali, sed *in unico* principio, quod convenientiam omnium entium et existentium et possibilem e. g. in entitate et consequenter in reliquis praedicatis communibus determinat. Ergo existit *unicum* principium primum, quod est ratio convenientiae omnium entium.

Porro hoc unicum principium convenientiae omnium rerum non potest esse ab alio. Nam si esset ab alio, cum rebus finitis conveniret in hoc, quod esset ab alio, ens finitum etc. *Atqui* ipsum est principium convenientiae rerum omnium. *Ergo* ipsum non potest esse in ulla relatione ad alia; omnes vero aliae res in omnibus suis perfectionibus in relatione sunt ad ipsum, quia ab ipso sunt tamquam eorum principio. Ergo Deus est principium unicum omnium rerum *maxime unicum*, nullo modo ad aliud ens ordinatum (relatum) et quod *nullo modo* ad alia ordinari (referri) *potest*.

Nota. In argumento henologico considerantur entia, *in quantum multiplicem habent communionem mutuam*, et directe concluditur ad Deum *tamquam unicum principium* omnium entium.

Argumentum henologicum eodem modo nititur principiis rationis sufficientis et causalitatis ac reliqua argumenta; quare eadem gaudet evidentia ac illa.

6. Argumentum ideologicum.

I

Prima forma, in qua considerantur res huius mundi, in quantum habent necessitatem essentialem.

Probatur: Ipsum esse et fieri rerum, regimini legum absolute necessariorum subest. *Atqui* ratio sufficiens huius necessitatis essentialis et absolutae omnium rerum tantum potest esse ens absolute necessarium, aeternum, immutabile, ubique praesens, immensum, primum verum et intelligibile, infinitum, unicum. *Ergo* existit ens absolute

necessarium, aeternum, immutabile, ubique praesens, immensum, primum verum et intelligibile, infinitum, unicum.

Ad maiorem. Principio contradictionis et rationis sufficientis enuntiatur *necessitas*, qua omne ens in se est ens et determinatum est ab aliquo, ut sit ens. Principio causalitatis enuntiatur necessaria dependentia entis contingentis ab alio. Porro de omni ente valent omnes illae propositiones, quae absoluta necessitate enuntiantur. «Nihil enim est adeo contingens, quin in se aliquid necessarium habeat» (S. Thom., S. theol. 1 q. 86 a. 3).

Prob. min. 1) Haec necessitas essentialis omnium rerum requirit rationem sufficientem; secus ipsa non esset.

2) Haec necessitas non est ex existentia rerum. Nam haec necessitas antecedit ipsam existentiam rerum; porro existentia est contingens (non-necessaria); ergo non potest *necessitatem essentialem* rerum determinare.

3) Haec necessitas determinari debet ab ente *existente*. Nam etiam entia existentia habent hanc necessitatem essentialem.

4) Hoc principium necessitatem essentialem rerum determinans debet esse:

Aeternum: nam semper entia fieri poterant.

Absolute necessarium: nam determinat necessitatem; ergo illam praecontinere debet.

Ubique praesens et immensum: nam ubique entia fieri possunt.

Primum verum et intelligibile: nam omnis veritas et intelligibilitas ab ipso determinatur.

Infinitum: nam ipsum determinat necessitatem *omnium* rerum possibilitatum et existentium. Debet ergo necessitatem omnium rerum in se continere; nam *quaelibet* essentia in se necessario est talis essentia et vi essentiae suae partes constitutivas et relationes necessarias habet. Quia principium necessitatem omnium rerum formaliter vel eminenter in se continens, certe non est *finitum*. Neque est indefinitum. Nam hoc principium necessitatis essentialis omnium rerum *existit*. Quidquid vero existit, *definite* existit. Ergo est infinitum.

Unicum: nam 1) Ens infinitum potest esse tantum unicum.—2) Necessitas, quae principio contradictionis enuntiatur, est de ratione *entis*, non tantum de ratione *huius* vel *illius* entis; convenit ergo *omni* enti, non tantum *huic* vel *illi* enti. Atqui si essent plura principia rerum, unum determinaret necessitatem *huius* entis et alterum necessitatem *illius* entis. Ergo plura principia non possunt determinare necessitatem *entis*. Ergo est *unicum* principium determinans necessitatem entis.

II

*Secunda forma argumenti ideologici
(ex mere possibilibus).*

Probatur. Sunt entia mere possibilia, i. e. entia realia capacia ad existendum, quae actu non existunt. *Atqui* entia mere possibilia supponunt ens existens absolute necessarium, aeternum, ubique praesens, infinitum, unicum. *Ergo* existit ens a se absolute necessarium, aeternum, ubique praesens, unicum, sive Deus.

Prob. min. Entia mere possibilia sunt entia potentialia, quae possunt quidem existere, *actu tamen non existunt*. Ergo in ipsis possibilibus non est ratio, cur sint praecise mere possibilia et non potius existant (1). Atqui in *omni* ente mere possibili non est ratio, cur sit mere possibile et non potius existat. Ergo haec ratio sufficiens debet esse in aliquo ente non mere possibili. Ergo requiritur ens existens praecise ad hoc, ut mere possibilia sint mere possibilia et non potius existant. Atqui hoc ens existens, est...

a se: nam in se habet rationem suae existentiae;

absolute necessarium: sicut et ipsa possibilia;

aeternum: nam semper possibilia fieri poterant;

ubique praesens: nam ubique possibilia fieri possunt;

omnipotens: nam omnia possibilia in actum existentiae deducere potest;

infinitum: nam infinite multa entia sunt possibilia;

unicum: nam est ratio *omnium* possibilium, non solum *determinatorum* possibilium.

Nota. In prima forma argumenti ideologici considerantur res huius mundi, *in quantum necessitate essentiali praeditae sunt*; in secunda forma argumentum fit *ex mere possibilibus*. In utraque forma concluditur ad *plurima* attributa Dei. Argumentum ideologicum ex iisdem consequitur principiis et eodem modo procedit ac reliqua argumenta pro existentia Dei. Quare modestius, quam per est, dicit

(1) Nihilum negativum (vel absolutum), quod nihil est neque aliquid esse potest, non requirit rationem sufficientem. Nihilum vero positivum vel ens potenziale, quod quidem non est aliquid actuale, sed aliquid esse potest, rationem requirit, cur potius non sit quam sit. Ob hanc rationem in Ontologia quaestio ponitur, quatenam sit ratio ultima mere possibilium.

de illo Urráburu: «nec tanta fulget evidentia istud argumentum». (*Institutiones philos.* vol. 7, *Theodic.* 1, p. 107 (n. 31).

7. Argumentum teleologicum.

Est in mundo ordo complicatissimus. *Atqui* hic ordo non potest esse nisi a causa summe intelligente. *Ergo* existit Deus tamquam mundi architectus sapientissimus.

Prob. min. Adest conspiratio plurimorum elementorum in combinationes varias et quidem elementorum, quae non metaphysice necessario tendunt in tales combinationes. Ergo in ipsis elementis ordinatis non est ratio sufficiens pro eorum conspiratione in combinationes respectivas. Ergo requiritur ens supramundanum et summe sapiens quod est ratio sufficiens et causa ordinis mundi complicatissimi (1).

Nota. In argumento teleologico considerantur res huius mundi, *in quantum ordinem multiplicem manifestant*, et concluditur ad Deum *tamquam architectum sapientissimum*.

8. Argumentum eudaemonologicum

Homo naturaliter (i. e. ex naturae suae indole) et absolute (i. e. ut quiescere non possit, desiderio naturali non impleto) tendit in summum verum et bonum (in verum et bonum infinitum). *Atqui* hoc desiderium esse nequit, nisi exsistat verum et bonum infinitum, quod est principium et obiectum beatitudinis hominis. *Ergo* existit Deus, summum verum et bonum, tamquam principium et obiectum beatitudinis hominis.

Prob. mai. 1) Obiectum formale intellectus humani est verum; obiectum formale voluntatis humanae est bonum. Quaelibet vero facultas tendit in obiectum suum formale. — 2) Homo naturaliter tendit in *omne* verum et *summum* verum obtinendum, quantum capax est. «Aristoteles... dixit quodammodo animam esse omnia, in quantum est

(1) Quomodo ostendatur mundi architectus sapientissimus esse ens a se, vide apud HONTHEIM, *Theodicea in usum scholarum* (Friburgi Brisgoviae, 1926), p. 113, Nota 1.

in potentia ad omnia, per sensum quidem ad sensibilia (1), per intellectum vero ad intelligibilia» (S. Thomas, S. theol. 1 q. 84 a. 2 ad 2; cf. ARISTOTELES, *De anima*, l. 3 c. 8 (431 b 20); S. THOM, *In 3 de anima*, lect. 13; *De verit.* q. 2 a. 2). Intellectus enim quolibet vero finito cognito, maiora vera et esse et attingi posse cognoscit; quo maiora vera apprehendit, in ea tendit; et in hac tendentia non quiescit nisi summo vero, quantum capax est, obtento. — Voluntas tendit in omnium malorum exclusionem, i. e. in bonum, quod omnia bona particularia aequivalenter et eminenter in se continet et voluntatem plene satiat. Intellectus enim quolibet bono finito cognito, maiora bona possibilia esse cognoscit. Consequenter ad hanc cognitionem voluntas in sua tendentia omnia bona finita transscendens tendit in hoc, ut bonum infinitum modo naturae suae proportionato possideat. — 3) Homo in verum et bonum infinitum vi naturae suae tendit *desiderio absoluto*, ita ut *naturaliter quiescere non possit*, nisi bono infinito, quantum capax est, obtento. Intellectus quiescere et voluntas satiari non potest, nisi vero et bono infinito secundum capacitatem suam fruatur.

Breviter: Homo vi naturae suae rationalis capax est veri et boni infiniti et *tendit* in verum et bonum infinitum modo proportionato *obtinentum*.

Prob. min. 1) Homo vi naturae suae rationalis fertur in verum et bonum infinitum. Haec tendentia naturalis sicut omne ens contingenter existens habet causam sui efficientem. Haec vero causa efficiens non est in ipso homine. Nam homo neque suam naturam neque hanc suae naturae tendentiam ipse effecit. Causa efficiens igitur huius tendentiae est ipse auctor naturae humanae, sc. Deus. Sed argumentum eudaemonologicum non ex parte causae efficientis tendentiam hominis in Deum considerat; sub hoc enim respectu iam in argumento cosmologico vel tychologico considerata est; sed argumentum eudaemonologicum hanc tendentiam ex parte *objecti* eius respicit.

Homo igitur vi naturae suae rationalis aliquam *relationem realem habet a natura suo rationali inseparabilem*. Atqui quaelibet relatio realis praeter subiectum reale habet obiectum reale, *ad quod* refertur, scilicet terminum relationis. Ambo enim, et subiectum et terminus,

(1) Ex hoc concludi non potest desiderium sensuum impleri debere. Nam sensus qua tales tendunt in praesentia, particularia, finita; eorum desiderium est elicatum, non naturale. Desiderium vero *animae*, quae per sensus operatur et a sensibilibus incipiens ad verum et bonum *infinitum* vi naturae suae tendit, per ipsum bonum *infinitum* impleri debet. Sensibilia enim, utpote finita, desiderium animae satiare non possunt.

sunt *ratio fundans* relationem; ideoque quando aliqua relatio *realis (actu)* habetur, *et subiectum et terminus et fundamentum*, sub quo subiectum ad terminum refertur, *realia (actu)* esse et fundamentum a termino realiter distinctum esse debet. Ergo etiam ad hoc, ut tendentia naturae rationalis humanae, quae est aliqua relatio realis, *omnino esse possit*, obiectum eius reale et existens esse debet. Appetitus vero hominis naturalis *fertur* in verum et bonum infinitum. Ergo existit Deus, verum et bonum infinitum.

Nota. Quod ex *reali relatione* naturae rationalis hominis Deus ipse cognoscatur, non est proprium solius argumenti eudaemonologici; sed etiam in aliis argumentis iam allatis obtinet. In reliquis enim argumentis hoc modo proceditur, e. g. in tychologico: Exsistunt res contingentes. Ergo per aliquid res *determinatae* sunt, ut existant. Atqui ex se ipsis non determinatae sunt, ut existant. Ergo *determinatae sunt per* aliquod ens (*ab aliquo ente*), quod *ipsae non sunt*. Ergo in omni sua entitate *referuntur* ad aliud ens, *per quod (a quo)* sunt. Atqui *si ad aliud ens realem habent relationem*, etiam hoc aliud ens utpote hanc relationem *fundans* existere debet. Ipsa igitur *relatio*, quam ens contingenter existens ad ens a se habet, *ratione prius* cognoscitur quam ipsum ens a se. — In argumento eudaemonologico ita proceditur: Homo existit et vi naturae suae rationalis in ens infinite verum et bonum tendit. Aliis verbis: *homo vi naturae suae rationalis ad ens infinite verum et bonum relationem realem habet*. Ergo ens infinite verum et bonum existit, quia secus realis relatio ipsa non existeret. Etiam in argumento eudaemonologico, quando haec *realis tendentia hominis in verum et bonum infinitum* cognoscitur, in signo rationis posteriori ipsum ens infinitum cognoscitur. Quoad modum igitur cognoscendi Deum, argumentum eudaemonologicum a reliquis in hoc non differt, quod ratione prius *relatio* creaturae ad Deum cognoscatur; differentia vero in eo est, quod in reliquis argumentis directe relatio causae *efficientis*, in eudaemonologico directe relatio causae *finalis* cognoscitur.

2) (Continuatur probatio minoris). Verum et bonum infinitum, uti ex hucusque probatis constat, hominem allicit.

Deus hominem plene beatificare *potest*, quia est verum et bonum *infininitum*. Ex altera parte Deus *effecit* tendentiam hominis in bonum infinitum; ipse quoque est causa *finalis* huius tendentiae. Aliis verbis: Deus dedit propensionem naturae in ipsum. Atqui Deus contra bonitatem, immo contra rationem ageret, si hanc tendentiam naturalem hominis in ipsum, quam potest implere, effecisset, et nihilominus eam, quantum ad ipsum attinet, non impleveret. Ergo Deus, quia est sapientia et bonitas infinita, suae debet sapientiae et bonitati, ut desiderium hominis naturale impleat. Si vero homo peccando beatitudine libere se indignum reddiderit, exigentia, ut desiderium impleatur, non iam adest. Ergo Deus *per se* hominem introducit in omnem veritatem et bonitatem, cuius homo est capax.

Deus igitur est causa *efficiens tendentiae humanae naturae* in ipsum; porro Deus est causa *finalis et obiectum beatitudinis hominis*: nam est obiectum hominis tendentiam plene satians. Possessio vero boni, quod appetitum totaliter complet, et plena voluntatis quies ex hac possessione resultans est beatitudo hominis. Denique Deus est *principium effectivum* beatitudinis hominis; nam desiderium hominis in summum verum et bonum ipse complet.

3) Quia omnia entia rationalia vi essentiae suae in summum verum et bonum tendunt, Deus est principium et obiectum beatitudinis omnium entium rationalium.

Nota 1. In hoc argumento consideratur *realis et absoluta tendentia hominis in verum et bonum infinitum*, et concluditur directe ad Deum *ut summum verum et bonum*.

Nota 2. Praemissa minor huius argumenti ope «principi axiologici» saepe probatur, scilicet hoc modo: «Tendentia hominis naturalis in verum et bonum non potest frustrari; nam secus natura humana esset absolute mala [et manca]. Cf. e. g. HONTHEIM, *Theodicea in usum scholarum*. (Friburgi Brisg. 1926), p. 122, cf. 28-39.—Haec consideratio vera quidem est; sed «principium axiologicum», ut ex argumentatione nostra apparet, non est principium novum et independens, sed reducitur in principium rationis sufficientis, cuius est applicatio in determinatis casibus; cf. Scholion sequens.

Nota 3. Recenter P. MANSER, O. P. in folio periodico philosophico-theologico «*Divus Thomas*» 5 (1927) 449 ss. iterum valorem argumenti eudaemonologici minuire

conatur, id quod iam antea fecerat in eodem folio 1 (1923) 44-50, 146-164; 2 (1924) 92-94, 329-339. P. Manser, l. c. 5,456 quaerit, in quemnam terminum desiderium hominis in Deum directe tendat; et ita argumentatur: Si hominis desiderium directe tendit in Deum, Deus etiam directe (immediate) cognosci deberet. Ergo tunc sequeretur Ontologismus.—RESP. *Dist. antec.*: Deus immediate cognosci deberet, si argumentum eudaemonologicum procederet ex desiderio in Deum *elicit*o, *conc.*; si procedit ex desiderio *naturali*, *nego*. *Pariter dist. consequens*: Ontologismus sequeretur, si argumentum procederet ex desiderio in Deum *elicit*o. *conc.*; si argumentum procedit ex desiderio *naturali*, *nego*.—Argumentum eudaemonologicum procedit ex desiderio hominis in Deum *naturali*, non vero *elicit*o.

L. c. 462 P. Manser hoc modo argumentatur: Homo in appetendo beatitudinem non est liber. Atqui in Deum homo libere tendit, «Gott wählen wir frei». Ergo homo in Deum non tendit desiderio *naturali*.—RESP. *Conc. maiorem*. De sensu maioris cf. Jos. FRÖBES, S. J., *Psychologia speculativa*, tomus 2 (Friburgi Brisgoviae 1927) 160-164. *Dist. min.*: Homo libere tendit in Deum actibus voluntatis *elicitis*, *conc.*; desiderio *naturali*, *nego*. *Dist. consequens*: Homo non libere tendit in Deum desiderio *naturali*, *conc.*; homo non libere tendit in Deum actibus voluntatis *elicitis*, *nego*. Homo contra desiderium, quo *naturaliter* non libere in Deum tendit, actibus voluntatis liberis *elicitis* agere potest. Tum quoad cognitionem tum quoad electionem P. Manser in suis obiectionibus procedit ab actibus *elicitis*; sed argumentum eudaemonologicum fit ex *indole* hominis *naturali*. Quia P. Manser hanc distinctionem negligit, vim argumenti eudaemonologici immerito deprimit.

Scholion. Quid significat et quo iure statuatur principium: «natura non potest esse absolute mala [manca]», «principium axiologicum» a nonnullis nominatum?

Omne ens est ens et verum et bonum. Omne ens non potest esse non-ens neque non-verum neque non-bonum (malum). Si autem aliquod ens esset ens et *absolute* malum, esset et ens et *absolute* malum (non-ens). Nullum vero ens est *absolute* i. e. per se et simpliciter malum. Ergo nulla natura potest esse absolute mala; secus esset et non

esset. Ergo nulla natura quoad ullum respectum potest esse *absolute* mala; secus sub hoc respectu esset et non esset. Tendentia vero hominis in summum verum et bonum existere non potest, nisi summum verum et bonum existat. Secus haec tendentia esset et simul non esset, quia ratio sufficiens eius deesset; deesset enim terminus ad quem natura humana refertur. Tunc natura in sua tendentia in verum et bonum infinitum esset de facto *absolute* mala et manca; «deficeret in hac tendentia in (*absolute*) necessariis» quin etiam: ipsa quoad hanc tendentiam non esset.

«*Natura non deficit in necessariis*». Sensus genuinus huius axiomatis hoc modo erui potest. Necessitas est determinatio ad unum. Si vero natura esset natura et tamen non esset determinata ad hoc, ut sit natura, deficeret in hoc, per quod determinatur ad *unum*, scilicet ad hoc, ut sit natura; i. e. natura esset natura et non esset natura.

Variae formulae, quibus «principium axiologicum» enuntiatur, nihil aliud sunt nisi applicationes variae principii rationis sufficientis.—Hoc modo omnia principia argumentorum et consequenter argumenta ipsis superposita de facto ex *ultimis* rationibus evolvuntur, id quod de essentia philosophiae est.

9. Argumentum deontologicum.

Est discrimen inter actus nostros liberos bonos et malos, et homo *absolute* subest morali necessitati recte agendi. *Atqui* ratio huius necessitatis, cui homo *absolute* subest, est legislator supremus sive Deus. *Ergo* existit Deus ut legislator supremus.

Ad maiorem. Est discrimen inter actiones nostras liberas bonas et malas. Nam quaedam naturae nostrae rationali conformes sunt, quaedam diffformes. Porro homo subest morali necessitati recte agendi; moraliter male agit, si regulam morum laedit.

Prob. min. Haec necessitas, cui homo subest, debet habere rationem sufficientem; secus ipsa non esset. *Atqui* ratio necessitatis non est in ipso homine. Nam homo *determinatur* ab hac necessitate morali (dependet ab hac necessitate); homo non determinat hanc necessitatem. Ergo ratio necessitatis moralis non est in homine. Ergo ratio necessitatis moralis est supra hominem et supra naturam humanam et consequenter supra genus humanum. Porro ratio huius necessitatis est *absoluta* et infinita. Nam ligat omnes homines et omnia entia rationalia, et quidem *absolute*. Nullum vero ens finitum voluntatem *plene et absolute* ligare potest. Etenim ens finitum super se habere potest ens maius, ratione cuius sperni vel negligi potest, si

quando huic enti maiori non consentit. Ergo nullum ens finitum *absolute* ligare potest. Ergo existit legislator infinitae auctoritatis.

Nota. In hoc argumento consideratur, quod homo *absolute subest morali necessitati*, et concluditur ad Deum *tamquam supremum legislatorem*.

Ipsam ligamen morale dupliciter considerari potest: aut ex parte legislatoris necessitatem imponentis, aut ex parte hominis necessitati morali subiecti (1). Si ligamen morale primo modo intelligitur, ipse legislator iam formaliter cognoscitur et agnoscitur. Si vero secundo modo intelligitur, formaliter tantum cognoscitur hominem morali necessitati subesse; i. e. *effectus* ligationis in se apprehenditur, quin eius causa iam formaliter sciatur. Et etiam effectus nondum cognoscitur quia effectus; sed ligamen, quod est de facto aliquis effectus, apprehenditur.

In praemissa maiore argumenti deontologici secundo modo ligamen morale intelligitur et abstrahitur ab eo, per quem haec moralis necessitas imponatur. Quare neque in praemissa maiore existentia legislatoris formaliter cognoscitur, uti nonnulli existimant. Sic intellectum argumentum deontologicum eodem modo formatum est ac reliqua argumenta pro existentia Dei. Etiam in praemissa maiore aliorum argumentorum fit aliqua abstractio. Consideratur e. g. contingentia huius mundi, quae essentialiter includit dependentiam a Deo. Ens contingens de facto est aliquis *effectus* actionis causantis Dei. Tamen in praemissa maiore argumenti tychologici interna dependentia entis contingentis a Deo nondum formaliter cognoscitur. Hoc solo argumenta moralia a reliquis differunt, quod dependentia hominis a Deo per ligamen morale fortasse psychologicè facilius cognoscitur et agnoscitur,

10. Argumentum ethnologicum.

Omnes gentes omnium temporum, quamvis diversae indolis, pro absolute certo habent existere ens supramundanum, personale, quod

(1) Eodem modo ac lex naturalis dupliciter considerari potest, scilicet et in quantum in Deo existit et in quantum est in creatura rationali; c. f. CATHREIN, *Philosophia moralis*, editio 11 et 12 (Friburgi Brisgoviae 1921) n. 208.

et mundum physicum et ordinem ethicum regat. *Atqui* hic consensus universalis et constans in obiectum absolute certum, rationem suam habet in ente supramundano ab hominibus colendo. Ergo existit Deus tamquam ens supramundanum ab hominibus colendum.

Ad maiorem. Hic consensus constat ex historia et ethnographia.

Prob. min. Omnes homines omnium temporum ens supramundanum, personale, ab ipsis colendum absolute certo existere consentiunt.

Atqui 1) Hic consensus universalis et constans in obiectum absolute (et non tantum conditionate) certum, requirit rationem sufficientem; secus ipse non esset.

2) Haec ratio non est tantum in singulis hominibus vel gentibus. Nam in singulis qua singulis non est ratio conspirationis et consensus. Ergo haec ratio est omnibus hominibus (toti generi humano) *externa*. Homines eliciunt quidem actus cognitionis et agnitionis entis supramundani, *determinantur* vero sicut ad omnes actus cognoscitivos etiam ad hos actus per obiectum (1).

3) Haec ratio generi humano externa et omnes homines determinans...

a) est *existens*: nam *realiter* homines determinat (2).

b) est *una*, quae semper erat et nunc est (et erit); nam determinat omnes homines, qui fuerunt et sunt (et erunt); nam omnis natura rationalis creabilis cum sit ens potentiale et in operationibus suis de potentia ad actum transeat, vi essentiae suae a vero et bono determinatur).

c) est *vera et bona*; nam in intellectum et voluntatem hominum influxum exercet.

d) est *infinita*; nam ligat *omnes homines* et quidem *absolute*. Nul-

(1) Hanc persuasionem universalem et constantem oriri non posse ex sola educatione, institutione et traditione hominum, quin adsit ratio determinans generi humano externa, facile intelligitur. Nam tali modo solo, si scilicet deesset ratio generi humano externa, non adesset ratio pro *universalitate et constantia* consensus, eo magis, quod haec cognitio hominum propensionibus saepe est molesta. Quo melius insuper homines excoluntur, eo magis veritates traditas examinant et eo facilius falsam eruditionem detegunt.

(2) Quod hic consensus universalis non determinatur per apparentiam vel speciem entis supramundani, sicut homines ex apparentia circa motum solis diu erraverunt, patet. Nam cognitio Dei orta ex falsa interpretatione apparentiae Dei non est possibilis, eo quod persuasio de Dei existentia in testimonio sensuum non nititur. (Porro iudicium de motu reali solis non erat absolute certum neque temporibus praeteritis absoluta certitudine ponebatur. Etiam tum homines solem *apparere* circa terram moveri absoluta certitudine iudicabant; et hoc iudicium verum erat; iudicium solem *realiter* moveri ut verum quidem, sed non tamquam absolute certum considerabant.—Insuper etiam error habet rationem sui sufficientem, scilicet apparentiam veri).

ARGUMENTUM ETHNOLOGICUM

lum vero ens finitum voluntatem absolute ligare potest, uti vidimus in argumento deontologico.

e) est ens *personale*. Persona est suppositum rationale. Deum esse suppositum rationale sequitur ex eius infinitate; nam ens infinitum omnes perfectiones simplices in se continet. Esse autem personam est perfectio simplex.

f) Deus est ab hominibus *colendus*. Nam homines ei sub omni respectu subiecti dependentiam suam agnoscere et Deo cultum debitum praestare debent.

Nota. In argumento ethnologico consideratur *consensus hominum in cognoscendo et agnoscendo Deo*, et concluditur directe ad Deum *ut ens supramundanum ab hominibus colendum*.

APPENDICES

APPENDIX 1. *Cur et quomodo plura argumenta pro Dei existentia sunt possibilia?*

I

Argumenta metaphysica.

1) Quidquid est ens, rationem sui sufficientem habet. Ex ipsa consideratione entis existentis argumentum cosmologicum procedit, eoque directe ostenditur Deum esse ens a se et rationem ultimam omnis entis existentis.

2) Ens, quod rationem sui in seipso non habet, est ens potentiale; et quidem sub vario respectu in potentia esse potest.

a) Ens potest esse in potentia (vel quod prorsus idem est: ens potest esse indifferens) ad existentiam suam. Ex hac indifferentia argumentum tychologicum procedit, quo directe ostenditur Deum esse absolute necessarium et rationem ultimam entium non sua interna necessitate, sed libera entis necesarii voluntate existentium.

b) Ens potest esse indifferens ad gradum perfectionis suae. Nam ens, quod in se non habet rationem sufficientem sui, *necessario* est ens finitum. Ex hac indifferentia entis finiti argumentum climacologicum procedit, quo directe ostenditur Deum esse absolute infinitum et rationem ultimam omnis entis finiti, cui libere talem gradum essendi communicavit.

APPENDICES

c) Ens potest esse in potentia ad motum suum. Ex hac indifferentia argumentum kinesilogicum procedit, quo directe ostenditur Deum esse motorem primum immobilem et rationem ultimam omnis motus, qui in rebus esse potest.

3) Plura entia, quae non solum sunt entia relativa, tantum eo sunt possibilia, quod rationem sui non habent in se. Ex convenientia plurium et omnium entium argumentum henologicum procedit, quo directe ostenditur Deum esse unicum et rationem ultimam convenientiae (communione) rerum.

4) Ens etsi non habeat rationem sui in seipso, tamen necessitatem essentialem in se habet, scilicet in omnibus, quae ei metaphysice necessario conveniunt. Ex hac necessitate essentiali, quae *omni* enti convenit, prima forma argumenti ideologici procedit, quo directe ostenditur Deum vi essentiae suae esse absolute necessarium et rationem ultimam omnis necessitatis essentialis participatae rerum.— Porro ens, quod in seipso rationem sui non habet, in statu merae possibilitatis et consequenter tantum secundum praedicata essentialia considerari potest. Ex hac consideratione altera forma argumenti ideologici procedit et directe ostenditur Deum esse absque omni potentialitate et rationem ultimam omnium possibilem.

Haec argumenta nominantur *metaphysica*, quia sumuntur ex proprietatibus, quae *rebus finitis in genere* sive corporalibus sive spiritalibus conveniunt.

II

Argumentum physicum. Res huius mundi considerari possunt secundum ordinem, qui in ipsis invenitur. Hic ordo rebus non metaphysice necessario convenit. Ex hac potentialitate ordinis rerum argumentum teleologicum procedit, quo directe ostenditur Deum esse summe intelligentem et rationem ultimam ordinis huius mundi. — Hoc argumentum appellatur physicum, quia proprietatem aliquam *huius mundi*, scilicet eius ordinem considerat.

III

Argumenta moralia.

1) Homo desiderio naturali tendit in verum et bonum infinitum et in hac tendentia a summo vero et bono allicitur. Ex hoc desiderio naturali argumentum eudaemonologicum procedit, quo directe ostenditur Deum esse summe verum et bonum, principium et obiectum beatitudinis hominis.

2) Homo absolute subest legi morali. Ex hac necessitate, qua homo lege morali determinatur, argumentum deontologicum procedit, quo directo ostenditur Deum esse legislatorem supremum et rationem ultimam obligationis hominis.

3) Omnes homines omnium temporum consentiunt existere ens supramundanum, personale, quod et mundum physicum et ordinem ethicum regat. Ex hoc consensu argumentum ethnologicum procedit, quo directe ostenditur Deum esse ens supramundanum ab hominibus colendum, rationem ultimam imaginis Dei in mente hominum. — Tria ultima argumenta nominantur *moralia*, quia respiciunt hominem, ut est ens intelligens et volens.—Omnes proprietates, quae in argumentis metaphysicis considerantur, etiam in rebus huius mundi et in homine metaphysice necessario inesse patet. — Certitudo in *omnibus* argumentis, et in metaphysicis et in physico et in moralibus, est *metaphysica*.

APPENDIX 2. *Quomodo in variis proprietatibus creaturarum, quae in singulis argumentis respiciuntur, perfectiones Dei resplendant.* Ens creatum, in quantum omnino existit, est vestigium Dei existentis a se.—Ens creatum, in quantum contingenter existit, est vestigium Dei ipsius summe necessario existentis et amore suae bonitatis singulas creaturas ad existentiam eligentis.—Ens creatum, in quantum habet varios gradus perfectionis, est vestigium Dei infiniti ex plenitudine perfectionum suarum creaturis vario gradu libere communicantis.—Ens creatum, in quantum est mobile, est vestigium Dei actus purissimi creaturarum potentias ad actum deducentis.—Entia creata, in quantum sunt plura, quae necessario habent convenientiam ad invicem, sunt vestigia Dei unici pluralitatem rerum fundantis.—Ens creatum, in quantum habet necessitatem essentialem diversissimam, est vestigium infinitae necessitatis essentialis Dei, in quo omnis necessitas participata fundatur.—Ens creatum, in quantum est ordinatum, est vestigium ordinis essentialis et summae unitatis in Deo, qui omnem ordinem rerum determinat.—Ens creatum, in quantum est homo in verum et bonum tendens, est *imago* Dei essentialiter veri et boni, a quo homo in sua tendentia in verum et bonum allicitur et per quem plene beatificatur.—Ens creatum, in quantum est homo ordini morali subiectus, est imago Dei sanctissimi seipsum et omnia propter se rectissimo ordine amantis.—Ens creatum, in quantum Deum vi naturae suae cognoscit et colit, est imago Dei seipsum infinite cognoscentis et amantis hominisque intellectum et voluntatem ad seipsum attrahentis.

GASPAR NINK.